MISSALE
Laibach/Ljubljana, 1296 Seite 54r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=42092
Copyright: Bozen/Bolzano, Museumsverein (Depot im Stadtmuseum)



Postquam autem senes locuti sunt. erubuerunt sui uehementer.
quia nunquam dictus fuerat sermo huiusmodi de susanna. Et
facta est dies crastina. Cumque uenisset populus ad uirum eius ioachim.
uenerunt et duo presbiteri pleni iniqua cogitacione ad uersus
susannam. ut interficerent eam. Et dixerunt coram populo. Mittite
ad susannam filiam helchie. uxorem ioachim. Et statim miserunt.
Et uenit cum parentibus et filiis. et uniuersis cognatis suis.
Flebant igitur sui. et omnes qui nouerant eam. Consur
gentes autem duo presbiteri in medio populi. posuerunt manus
suas super caput eius. Que flens. suspexit ad celum. Erat autem
cor eius fiduciam habens in domino. Et dixerunt presbiteri. Cum de
ambularemus in pomerio soli. ingressa est hec cum duabus puellis.
et clausit hostia pomerij. et dimisit a se puellas. Uenitque
ad eam adolescens qui erat absconditus. et concubuit cum ea.
Porro cum nos essemus in angulo pomerij. uidentes iniquitatem
cucurrimus ad eos. et uidimus eos pariter commisceri. Et illum quidem
nequiuimus comprehendere. quia fortior nobis erat. et aperto hostio
exiliuit. Hanc autem cum apprehendissemus. interrogauimus quis nam
esset adolescens. et noluit indicare nobis. Huius rei testes su
mus. Et credidit eis multitudo quasi senibus populi et iudicibus.
et condempnauerunt eam ad mortem. Exclamauit autem uoce
magna susanna et dixit. Deus eterne qui absconditorum es cogni
tor. qui nosti omnia ante quam fiant. tu scis quoniam falsum
contra me tulerunt testimonium. Et ecce morior cum nichil horum
fecerim. quod isti maliciose composuerunt ad uersum me. Exau
diuit autem dominus uocem eius. Cumque duceretur ad mortem. suscitauit
dominus spiritum pueri iunioris. cuius nomen daniel. Et exclama